

P V I S



1 6 0 3

EPI THALAMIUM
 IN NVPTIAS OR=
 NATISSIMI VIRI, ERV,
 DITIONE, PIETATE, ET VIRTUTE
 præstantiſ. D. AMBROSII, Viri honeſtiſſimi, & integerrimi D.
 VVOLPHGANGI KIRCHNERI Bibliopole Magdeburg. F.
 Sponſi: Et pudiciſſimæ ac Honeſtiſſimæ Virginis MARGARI=
 TAE, Viri ſpectatiſſimi D. VALENTINI RVPITII
 P. M. Patricij Magdeburg. F. Sponſæ,
 Scriptum à

Iohanne Vveideling Suderodeneſe.



MAGDEBURGAE,
 In Officina Typographica Pauli Donati.

c. 9.



Vis vero hic clamor? quis fertur ad astra secundo
Cum fremitu plausus? quid compita læta resultant?
Cui noua concordas arguto carmina plectro
Delie? cui crepitante mouent testudine cantus
Pierides? Ni fallor, Hymen noua foedera pangit.
Ardentem pinum, tædas agnosco iugales,
Impexasq; comas, & ferta prementia crinem.
Hinc VENEREM, Venerisq; genus, qui conijcit arcu
Tela nimis certum facientia vulnus, AMOREM.
Nosco diem, Sacri moremq;, Chorumq; Deorum,
Omnes ô Hymenæe, Hymen, Hymenæe frequentant.
Illud erat tibi nempe chorus venit iste, sonoras
Iam recolo, tibi turba quatit Phoebeia chordas,
AMBROSI, noua dulcis Hymen tibi ferta parauit.
Ad tua cum tenero Cytheræa Cupidine pulsat
Limina, pande fores, tantos admittere Diuos
Absq; mora decet: illi animo noua gaudia portant
Sponse tuo, illorum venit exorata labore
MARGARIS in socium tecum pulcerrima lectum.

O quam te memorem, clarissime Sponse, beatum,
O quam felicem te, MARGARIS inclyta, dicam?
Quos ita perpetuo coniunxit amore calentes
Illa Dionææ proles sanctissima matris,
Ut vos nulla dies, non fors dissoluere possit
Seu faueat bona, seu rigido tonet aspera vultu,
Donec crudeli vitæ interrumpere cessat
Fila manu Lachesis, Fatiq. invicta potestas.

O genialis AMOR, proles Iouis inclyta, vastus
Quid te nobilius, quid habet iucundius orbis?
Muneris omne tui est, quod terra, quod educat aër,
Et quod Marmoreo complectitur æquore pontus.
Ex te stat duræ solo reparabile damnum

A 2

Mortis:



Mortis : in æternum, subito deserta, colonos
Ne fleat amissos, acceptum maxima debet
Terra tibi : Quod sylua feris, cantuq; volucrum
Non caret, & liquidus non pennipotentibus aër :
Quod non deficiunt hominum quos semper in vsu
Ex lato possit pelago submittere pisces
Tethys aquosa, tuo fit munere: Sufficit æquor
Squamigeras pecudes, Tellus animalia, pennis
Depictum leuibus per te genus educat aër,
Nec tristem patitur rerum Natura suarum
Iacturam, inuictum sed numine seruat Amoris
Per tot secla decus, solitum retinetq; vigorem.

Nec minus excelsi tibi Regia debet olympi,
Qui magno per te numero transmittis adauctum
Æthereæ humanum genus aulæ. Hinc inde per orbem
Nam quicumq; habitant populi sub utroq; polorum
Cardine non istum stellantis Reçtor olympi
Condidit ad finem, vt terræ inuia lustra colentes
Assidua sub mole gemant, sortisq; furentis
Arbitrio expositi, sub perpete clade malorum
Defensam ponant animam, corpusq; soluti
Mortale in nihilum redeant, non lucis ad auras
Emersuri iterum, & iucundi in lumina solis :
Sed primæ potius memores vt originis alto
Convertant animum, obliuim mortalia, cælo
Huc fixi aspirent, huc sensa, atq. omnia mentis
Consilia, & miseræ referant conamina vitæ.
Vt cursu exacto, fatis voluentibus, æui,
Splendida non habeant lucentis ad atria olympi
Interclusum aditum, & cæli melioribus oris,
Concilio asciti diuim, sine fine fruuntur.
Hinc densi, quos vera Dei reuerentia tangit,

Accele-

Accelerant templis, & flexo poplite ad aras
Vota ferunt, Numenq; sibi per carmina poscunt
Propitium, & noxæ veniam, erroriq; requirunt.
Heu mihi quàm subito pietas languesceret, omnes
Quàm citò mors homines inimica falce necaret,
Templa forent vacua, & nullus superesset, honorem
Qui faceret superis, deserta altaria starent:
Ni pensaret amor, quæ tristia manibus addunt
Fata, & tantæ vnus repararet damna ruinæ,
Dura, quibus fedit, subigendo corda sagittis.
Hic quoq; Sponsæ tuis, viræ non noxia, fecit
Vulnera pectoribus, quæ non curare peritus
Viribus herbarum medicus, vel tollere docta
Arte potest, spernit medicamina morbus amoris.
Huius sola mali poterit tibi demere causam
MARGARIS, hæc ægrum depellere corde dolorem,
Et mœstum releuare animum, modò dulcè loquentes
Non oculos neget illa tibi, non suauè rubentem
Subducat vultum, roseisq; decentia labris
Ora: sed amplexu tibi candida brachia tendat,
Et det mille genis, ferat oscula mille decoris.
Tu modo blanditijs animos euincere molles
Et precibus tenta trahere in tua vota sequentem.
Non inimica tuas excludet ab aure querelas,
Sed facilem votis aditum dabit, aspera duro
Nulla puellâ gerit saxo præcordia. Eodem
Adde quod ex morbo, si mens non falsa, laborat,
Quæq; petis petit hæc eadem medicamina, certis
Anguror indicatijs, amat, & quam ferre rogatur,
Poscit opem: benefata cadunt, per mutua morbum
Tollite: Difficiles tu leni pectoris æstus
MARGARIS AMBROSIO, non ille nigrata rependet

Præmia, quæ poterunt animum mollire dolentem,
Atq; graues mesti curas depellere cordis.

Sed quæ tam subito noua pompa paratur? acufos
Ænea quid sonitus resonant cornua? rauco,
Ictus terga bouum strepitu pulsata reportant?
At quoq; iucundam Testudinis audio vocem,
Sedatos Cytharæq; modos, ac dulce canentem
Barbiton, & quicquid suauis modulamine mentes
Detinet, argutiq; capit concentibus aures.
Præterea celsis in turribus æra deorum
Icta repercussos voluunt ad sidera bombos.
Ni mea me vana mens ludit imagine veri
Sponsus adire parat veneranda altaria Diuum,
Numen ut inceptis per vota requirat amicum,
Et rata teste Deo faciat sacra fœdera lecti.

Nunc age Phœbe nouas in carmina iuffice vires,
Nunc Heliconæ Deæ, nunc vestra sacraria Musæ
Pandite, & ad thalami vos ipsæ festa relicto
Parnassi properata iugo, quas ante paratas
Vidi carminibus, Cytharæq; errare loquaci.
Iam vocat hora, sacro iam pollice fila mouentes
Psallite pierides noua psallite carmina Musæ,
Dum loquor, en sponsus foribus sese exulit altis,
Ore micans sublimi, & primo flore iuuentæ.
Qualiter Oceano perfusus Lucifer exit
Mane nouo, & reliquos anteit splendoribus ignes.
Ponè sacer legit ordo patrum vestigia, quorum
Auspicijs floret res Parthenopæa, superbum
Attollensq; caput cæli inter nubila condit.
Hinc, ut quisq; prior titulis, & honore decentem
Pro ratione locum capientes ordine longo,
Procedunt reliqui, & Sponsum comitantur euntem.

Psallite

Pfallite Pierides noua pfallite carmina Musæ
Ecce gradum profert manibus deducta suorum
M A R G A R I S, æquales inter pulcerrima nymphas,
Qualiter excultum tenero sub vere per hortum
Inter odoratos vernantia lilia flores
Attollunt sublime caput, dulcemq; coloni
Naribus aspirant fragranti vertice odorem.
Pfallite Pierides noua pfallite carmina Musæ.
Iam venit ad metam, iam templo læta propinquat
Turba puellarum. sed quem præcedere pompam
Cerno? Putem, neq; falsa fides, genus esse deorum.
Dulcis Hymen rutilante facem quate lampade, pinus
Ardet vt in manibus, Tremulamq; crepante volutans
Igne iacit longè lucem: sic sponsus amoris
Accensus flagret faculis: sic æstuet intus
Sponsa calore, pias respondens pectore flammæ,
Flectite pierides pia flectite genua camœnæ,
Submisso iam corde preces, iam dicere par est
Vota, sacras pergit cum virgine sponsus ad aras,
Quos super & mentem cœlo conuersus, & ora
Antiqui recitat Mystes oracula Mosis:
Viuite concordēs, socio generate cubili
Progeniem, certam vestræ producite stirpis
Spem, vacuoq; nouos cultores mittite mundo.
Pfallite Pierides noua pfallite carmina Musæ.
Finijt antistes, sanctis deceditur aris,
Picta repercussæ feriunt laquearia voces,
Musica dum suaues variato guttore promit
Turba modos, biforis socio cui buccina cantu
Contonat, alternansq; vices pulla organa reddunt.
Pfallite Pierides noua pfallite carmina Musæ.
Iam suus est habitus sacris honor, auspice Christo

Stat firmatus amor, iunctis stant foedera dextris
Certa, fidem dedit ille, fidem dedit illa, reuerti
Intra recta licet, structisq; accumbere mensis.
Psallite Pierides noua psallite carmina Musæ.
Discubuere toris, perfundunt quisq; liquenti
Fonte manus patris depromunt vina Lyæi,
Instituuntq; dapes famuli, expediuntq; canistris
Dona laboratæ cereris : mera gaudia tractant,
Læticiaq; diem condunt, & dulcibus horas
Alloquijs fallunt longas, ac pocula sumunt.
Interea quia voce Deæ, fidibusq; valetis,
Concinite ad plenas quiddam memorabile mensas,
Quale Sionæa quondam sub rupe canebat
Carmen in vmbriфера Libani conualle sonoram
Percutiens digitis cytharam Iesseius Heros :
Vel si quid, doctas hominum quod mulceat aures,
Castalium ad fontem Phæbo modulante tenetis.
Sicut in irriguos felici Balsama colles
Rore Palæstinis crescentia Balsama campis,
Destillant, pingues lacrymantia cortice guttas,
Nidoremq; grauem iactant : Seu, quale per æstum
Humor in arentes descendit ab æthere montes
Matutinus, & exustos in vallibus agros
Natiuo liquore rigat, fessisq; vigorem
Graminibus reddit, tenerum caput inclinatis :
Tale venit socio pax, & concordia lecto.
Hac duce qui thalami coeunt in foedera, quantos,
Ah quantos referunt fructus, quæ præmia tollunt
His largos cœli se fundit Rector in usus,
Et propiore regens illæfos Numine, fari
Præstat ab aduersi rabie, fortisq; procellas
Auertens domui, casus depellit acerbos.

Publica

Publica non ipsos clades euertit, ab omni
Securam peragunt vitam formidine inanem
Derident Martis fremitum, tumidæq; furorem
Fortunæ, vel si qua homines incommoda vexant.
Quin inter sese tranquilla pace fruuntur,
Et velut asurgens patulis in frondibus vlni
Vitis agit varios hinc inde per alta recursus
Brachia, & incuruat ramos pendentibus uvis.
Talis in optati castis complexibus hæret
Nupta viri largisq; maritum fructibus auget.
Nam sicut culto redolentia gramina in horto
Luxuriant, & humum diverso flore coronant.
Sic torus illorum numerosa prole beatus
Emicat, & generis certissima germina profert.

Pfallite Pierides nova psallite carmina Musæ.

Pulsa fames epulis, pingues iam linquere mensas
Conuenit. & faciles pede subsiliente Choreas
Ducere, & in gyrum teneras agitare puellas,
Buccina dum strepitat, dum tympana pulsa resultant.

Pfallite Pierides nova psallite carmina Musæ:

Ecce serenato Veneris micat æthere stella
Hesperus, Oceani veniens genitalibus vndis.
Hespere, quæ cælo te gratior explicat ignem
Fax? simul appares simul affers ocia membris
Grata fatigatis, te dulcem oriente quietem
Omne genus pecudum tacitis meditatur in antris,

Muta quiescit avis viridi sub fronde, diurnis
Fessa levat somno indulgens homo pectora curis.

Tu socio primus thalamo committis amantes,
Tu facis in Domini primos captare lacertis

Formosam somnos licito sub amore puellam.
Pfallite Pierides nova psallite carmina Musæ

Aureolis

Aureolis transit limen Venus aurea plantis,
Hinc atq; hinc dulces lateri agglomerantur amores,
Et Charites, lepidiq; ioci, risusq; loquaces,
Nec puer arcitenens, nec abest venerabilis Hymen.
Hæc bona fœcundi sunt signa cubilis, amores
Iungite, fata vocant, thalamumq; subite iugalem.
Psallite Pierides noua psallite carmina Musæ.
Fallimur, an frustra sua credimus addita rebus
Omina? Cœlestes sanctæ vescuntur opimis
Ambrosiæ dapibus, precioso Nectare anhelam
Arida lingua sitim leuat: Hoc pulcerrima gaudet
MARGARIS, ambrosioq; affinia nomina succo
Sponsus habet, Diuûm sanctis gratissima mensis
Vtraq;, vterq; dijs gtatissimus. Omnia Maio
Cum rident, viuæq; redit sua gratia terræ
Gramina tum canent, tum circum littora largo
Rore madent herbæ, lætiq; aspergine mellis
Alliciunt campi vicino ex æquore conchas.
Illæ prorepunt, cupidoq; è gramine Nectar
Ore bibunt, simul ac plenis protuberat vuis,
Atq; nouo grauidus fit pondere venter, odoris
Nascitur hinc miri purissima crustula, flauum
Quam dicas aurum, si sit color aureus illi,
Vincere, si niueus, niuis exuperare colorem
Intactæ, lanamq; gregis præcedere Iberi.
Nec decor externus tantum, sed nobilis illam
Commendat virtus quoq;, nec præsentius vllum
Pectoribus dederit quisquam medicamen anhelis
Auxiliousè alio felicius egerit atrum
E membris, lapsum vitiata per ossa, venenum.
Psallite Pierides noua psallite carmina Musæ.
Hoc venit in thalamum tibi MARGARIS omine Diuûm.
Munere

Munere nata, tuī quæ morbos auferat ægros
Pectoris, A M B R O S I, pestemq; libidinis omnem
Illicitæ membris agat, & præcordia sanet.
Ipsa grauem castis animis emittit odorem,
Et multis decorata nitet virtutibus, auro
Qualis Onyx inclusus agit radiante nitorem
Luce, vel Electrum, tepido quod sole liquefcit.
Psallite Pierides noua psallite carmina Musæ.
Omnia læta nouis portendunt omina sponfis.
Ipse adeò Diuūmq; parens, hominumq; repertor
Ter claro increpitans bona signa ostendit olympo,
Fœcundumq; torum, & longæuæ tempora vitæ
Annuit, & firmos concordi pace penates.
Sistite Pierides noua sistite carmina Musæ.
Iam roseis Phœbe bijugis inuecta rubescit
Æthere, iam placidam suadent exorta quietem
Astra, molesta petituris sunt carmina somnos:
Sistite Pierides noua sistite carmina Musæ.
Viuite felices, concordi viuite lecto,
Quos syncerus amor, socio quos fœdere iunxit
Mutuus ardor, auus dulces sperare nepotes
Iam nunc incipiat, solatia certa senectæ.
Hæc ego : Qui cælo sedet autor, & arbiter orbis,
Euentum votis dabit, & vos numine amico
Complexus larga cumulabit forte bonorum.

ΜΟΥΣΑ Τῆς ΔΕῶς ἢ ΔΟΨΑ.

Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

V077





LVI

65

EPI THALAMIUM N V P T I A S O R =

ISSIMI VIRI, ER V,
NE, PIETATE, ET VIRTUTE

D. AMBROSII, Viri honestissimi, & integerrimi D.
GANGI KIRCHNERI Bibliopola Magdeburg. F.
Et pudicissimæ ac Honestissimæ Virginis MARGARI-
Viri spectatissimi D. VALENTINI RVPITII

P. M. Patricij Magdeburg. F. Sponse,
Scriptum à

Iohanne Vveideling Suderodense.



c. 9.

MAGDEBURGAE,

Officina Typographica Pauli Donati.

